

lum facinus perpetrare volunt, indirecto vero, qui quamvis nolint, possunt tamen perspicere malum actionis euentum, doli fines excedere videntur. Malim ita finire, vt in genere dicam, dolo non agere, nisi eum, qui vult malum, quod agendo efficit. Sed directi doli reus est, qui malum istud ita vult, vt propterea agat, indirecti vero, qui non hac mente agit, vt malum istud efficiat, attamen illud ex actione sua euenturum esse, aut euenire certe posse praeuidet & eatenus vult, quatenus illud agendo impedire nequit. Quare, qui indirecti doli reum se facit, is malum facinus non satis efficaciter noluisse dici potest. Est autem huius indirecti doli gradus non vnus.

---

AUCTORI ET DEFENSORI

HUIUS LIBELLI

ORNATISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

*Iucundiori quidem suauiorique mihi non poteris probare documento, MI CRAMERE, quantum mea in TE auctoritas valeret, quam quod consilii, cuius nuper, quum in paterna domo inter paucos familiares de habitu TVO in aliam Lipsiensem sermones conferrentur, ipso PATRE suadente, auctor TIBI eram, vt, qui per bina semestria me duce inter priuatos parietes disceptando ingenium cum insigni laude frequentissime exercueris, nupsis patriis iam valedicturus, me quoque comite ac moderatore ante publicam cathedram adscenderes, quam ad externos Doctores abires, adeo promptum TE executorem*

rem